



**Quotidiana Christiani Militis Tessera**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1682**

28. Dies Julii. Nobis vixerunt veteres; vivimus non futuris; nemo sibi.  
Chrysol. serm. 101.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

## 28. DIES JULII.

Nobis vixerunt veteres; vivimus non futuris; nemo  
sibi. *Chrysol. serm. 101.*

**C**haritas I.  
in omnes.

**P**er omnia sæculorum curricula  
sunt quædam inter homines a-  
moris, quibus innectuntur vin-  
cula. Ætate nos præcessere nostri  
Majores, nos illis successimus: posteri nobis sunt le-  
cuturi. Ex illis omnibus nemo vixit, vivit, aut vivet  
sibi soli. Ut porrà aliis vivas, tibi morere. Ut vivas  
proximo, prodeesse stude. Si tibi soli vivis, & illi  
mortuus es, neutrī vives: profis autem corpori ejus,  
& animæ, facultatibus pariter, & virtutibus. Quòd  
si non potes factis, supple votis. His nunquam de-  
stitutus es, quantumcunque infirmus. Malo inpri-  
mis illum, si quo tenetur, & tu potes, penitus libera-  
fin potes, minimum subleva. Malum, si naturæ, au-  
pœnæ; si corporis, aut animæ: præbemalo tollendo  
media, si non alia, saltem minuendo, solatia: demul-  
cent illa, si non persanant. Malum si morum, aut cul-  
pæ est; fac, sciat esse malum; tantò pejus, quanto ma-  
jori spoliat bono. Inculca cautelam, indè solùm spe-  
ret tutelam: jube invigilare initii, explorare sugge-  
stiones, non fidere inclinationibus, cœli openi invo-  
care, Deum testem statuere. Profer consilia, adhibe  
monita; minas non tuas, nec è tuo; sed Divinas, & è  
Deo recita. Proxiimum exonerare malo, pars amo-  
ris una est; cumulare bono, pars altera est: utramque  
complectere.

**II.** Bonum in Virtute statuo: extra quam, si quod  
bonum

bonum est; non hominis bonum est, aut certè non hominis boni. Hanc porrò, ut suadeas; efficacius facies exemplo, quām præcepto; vitā, quām linguae; factis, quām verbis. Infer de virtute opportunitate sermonem; ostende illius exercendae occasionem; expone pretium; propone præmium; accende desiderium. Ut verò accendas, anteā ferreas. Jobum sequere; sis oculus cæco; auris surdo; manus debili; cor afflito. Ut vivas proximo, sic illum ames, sic alterum te. Amoris confortium, non timet dissidium. Candore verba pingue, fervore vota, honore facta, rubore consortia: ut probes amare, stude honorare. Abstine, quo possit ille offendit; sustine, quo tu laedi. Cave fastidium, desinit non raro in odium. Nulla mercede vendendus est amor in proximum: gratis, ut sit gratus, semper prodigatur. Deum vendit, qui charitatem alicui impedit, nisi propter ipsum; nam Deus, charitas est. Non te eò abjicias, ut proximo beneficia tua objicias; sed sicuti iudicas Dei esse munus, si quis de te sit benè meritus: ita beneficium Dei aestima, quidquid aliis exhibueris; nec tuum illud existima. Imò reputa majus beneficium tibi à Deo factum, quod te elegerit, aliis beneficiendi instrumentum. Amorem ab aliis non concilias de temporalibus; nam talis amor perit cum tempore: nec illa tam est charitas, quām cupiditas: non amor hominis, sed avaritia bonorum humanorum.

III. Dum piè, & sincerè diligitur proximus, tunc celebratur ille cordis contractus, sine partium injurya, quo alter alterum reddit, & accipit: contractus firmissimus, & super omnes ratus

commercii ritus: animarum scilicet, & voluntatum. Amor enim, proxeneta est cordium, trapezita animorum, tabellarius voluntatum. Hinc aeternum ex se fædus amoris est, & nodus Gordii nexibus aetior: contractus nunquam rescindendus, nec penitendus. Pacta dissolvi alia possunt, quia eadem voluntate, quam fiunt, resolvantur: istud idcirco sit, quod alia commutent pacientes; non voluntatem, quam commutant: in amoris autem contractu, eadem utriusque voluntas, materia est contractus. Voluntas alienatur, dum sit alterius: voluntas traditur, non amplius jam sui domina: ipsum penitendi jus amittit, dum alieno arbitrio committit. Itaque fortissimus est nodus amoris. Qui aliquem amore caput, fortius attripit, quam maxima violentia; implicatus constringit, quam retibus: secundius ligat, quam ullis funibus: immo, quam ferreis catenis: non enim extrius viam imminittit, sed intus urget: atque ipse vincitus, non vult solvi: potius feliganti insinuat, atque colligat: sed licet ille nexus non possit dissolvi, potest seccari: ut enim Alexandri gladius nodum Gordium: sic violenta mortis falx secabit. Itaque solum, si illum contractum cum Deo ineas, justissimus, & securissimus est: cuius nec amor perire potest, nec ipse. Nequit leviter voluntatem mutare, nec mutari: nulla penitentia illum subit amandi bonos; hoc est, amantes ipsum, sive summum Bonum. Hunc semper anima, quem potes semper oculis tuis habere objectum a teamatum. Quid prodest esse jucundius quam amare, & semper videre amatum? Quia, ut recte Poëta:

*Est oculis gratum, speculari semper amatum.*

29. DIES